

2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, January 21, 2014, Prot. N. 48204/13 CA—Dismissal of the Diocesan Finance Council—Obligation of recurrent to make deposit for procedural expenses within established peremptory time

Prot. N. 48204/13 CA

Dimissionis consilii dioecesani a rebus oeconomicis

(D.nus N.—Congregatio pro Clericis)

Rekursu adversus decisionem Congregationis pro Clericis die 30 iulii 2013 apud hoc Supremum Tribunal porrecto atque actis ab eadem Congregatione exquisitis, obtentis atque examini praeliminari subiectis, haec Signatura Apostolica ad Cl.mum D.num N. die 24 octobris 2013 litteras dedit quibus, quibusdam propositis animadversionibus, terminum peremptorium decem dierum a praefatis litteris receptis praestituit ut idem Cl.mus Vir suetam cautionis summam pro expensis processualibus hic transmitteret utque intra terminum triginta dierum Patronum sibi constitueret ex adiecto Albo atque eundem Patronum constitutum cum hac Signatura Apostolica communicaret, mandatum rite subscriptum transmittendo.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Pro comperto habito quod litteras die 24 octobris 2013 datas Cl.mum Recurrentem die 31 octobris 2013 accepisse constat;

Attento quod intra praestitutum peremptorium terminum immo usque ad hanc diem Cl.mus Recurrens nullam cautionem ad hanc Signaturam Apostolicam dedit nec ceterum hucusque Patronum sibi constituit neque cum hac Signatura Apostolica communicavit, mandatum rite subscriptum transmittendo;

Praetermisso quod, ut in praefatis litteris animadvertebatur, recursus de illegitima dimissione consilii dioecesani a rebus oeconomicis veluti sub condicione proponebatur adeo ut, si haec Signatura Apostolica restitutionem consilii impossibilem censuisset, declaratio quaedam de illegitima amotione absque effectibus satis fuisset, quod extra munera huius Supremi Tribunalis cadit;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Visis artt. 16, §2; 27, §2; 78 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum desertum declarandum esse et facto declarari.

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 21 ianuarii
2014.

+ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, m.g.
Praepositus Cancellariae